Diss. 9
885

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
CONTRACTURA,

Quam,
Jussu Illustris COLLEGII Medici
in alma Salanâ
SUB PRÆSIDIO

DN. RUDOLFI WILHELMI CRAUSII,
Ph. & Med. Doct. Practic. ac Chim. P. P.
Facultatis suæ Senioris, & S. R. I. A. N. C. Collegæ,
Domini Patroni, Præceptoris & Promotoris
sui colendissimi,

PRO LICENTIA,
Summos in arte Medicâ honores, insignia & privilegia Doctoralia MORE MAJORUM ritè consequendi,
A. D. Dec. M DC LXXXVII.
horis ante & pomeridianis,
IN AUDITORIO MAJORI,
publicè ventilandam proponet
ANDREAS ROSA, Onoldo-Francus.

JENÆ,
LITERIS KREBSIANIS.

Serenissimo Principi ac Domino

DOMINO

CRISTIANO ALBERTO,

Marchioni Brandenburgensi, Magdeburgensi, Borussiæ, Sedini, Pomeraniæ, Cassubiorum, Vandalorum, Crossiæque & Carnoviæ in Silesiâ Duci, Burggravio Norimbergensi, Principi Halberstadiensi, Mindensi, Caminensi, ut & Comiti Hohenzollerano, &c.

Domino ac Principi suo Clementissimo

Disputationem hanc inauguralem

humillimè consecrat

Serenissimi Principis sui

subjectissimus servus

ANDREAS ROSA.

Q. D. B. V.

PROOEMIVM.

INter ea, quæ felicem & civiliter beatam hominis vitam reddunt, ſanè non minimum eſt, poſſe aliorum frui conſortio: Deſiderium enim, quo quilibet hoc affectat, innatum nobis eſt, ita, ut ex tantâ hominum copiâ vix unus altervè ſit, qui hôc non delectatus deſerta potiùs amet. Sunt ergò ea, quæ hominem tanto bono privant, inter moleſtiſſima mala numeranda, inq; horum numero maximè conſpicui morbi iſti, qui hominem, dum lecto affigunt, captivo reddunt ſimilem: non enim tunc ſui eſt juris, nec licitum ei, quò velit, ire, aut cum iis, quibuscum deſiderat, colloqui & vivere; unde &, quò diutiùs hujus ſortis morbi durant, eò moleſtiores etiam magis exiſtunt.

Ex horum autem numero cum & CONTRACTVRA ſit, morbus, niſi primis ſtatim obſtes principiis, maximè chronicus, imò plerumque commoriens, eoque moleſtior & commiſeratione dignior, quò non apprehenſorios modò, ſed etiam progreſſorios artus occupare ſolet, atquè ſic ineptos ad agendum, & ad accedendos alios reddit ægros, de eâdem juſſu ILLVSTRIS & GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ loco DISPVTATIONIS INAVGVRALIS quædam publico nunc examini exponemus.

licet membrum affectum, isti tamen nullo obsecundet modo, neque hinc etiam moveatur. Lædi quidem & motum aliquo modo naturalem, exemplo atrophiæ, quæ supervenit morbo, demonstrari potest, qui tamen non tàm primariò peccat, quàm secundariò, quatenus scilicet affluxus copiosior principiorum vitalium ob vasa, porosque compressos impeditur.

Constans autem *& permanens* dicitur hæc abolitio, ut differentia appareat *tùm paralyseos*, quæ itidem est aboliti motûs species, sed à resolutione oritur, unde membra sunt mollia & plicabilia, nec adeò diu durat, faciliùs enim corrigi, quàm contractura, potest; *tùm convulsionis*, quæ, quia æmulatur contracturam, cum hâc sæpè confundi solet; sed illa magis est temporaria, acuta & dolorosa: ὀδυνηρὸν πάθος σπασμός, scribit *Galenus*, doloris plena est convulsio, hinc non diu durat; sed in contractura membra manent incurvata & rigida sine dolore.

Caput II.

De Subjecto.

AD *Subjectum* nostri morbi assignandum & explicandum optime faciet, si consideremus, quodnam sit subjectum motûs naturalis, quô cognitô, non potest non nobis quoquè p. n. innotescere; idem enim sine dubio manebit subjectum actionis læsæ, quod est actionis integræ. Quanquam verò mediante musculo motum fieri, omnes consentiant; in quâ attamen hujus parte, (constat enim musculus, tanquam pars composita, ex pinguedine, vasis, nervis, tendine, membranâ & fibris carneis,) non ita conveniunt. De *pinguedine* res clara est; nemo enim prudentiorum unquàm isti motum adscripsit, cùm alius ejusdem notus sit usus, & hæc ipsa motum sæpè magis impediat, exemplo obesorum. Quod *vasa* spectat, hæc, præter communem aliàs usum advehendi & revehendi sanguinem, parum saltim hîc præstant, licet *Willis. tract. de muscul. p. 53. & 54.* putet afferre ea cum sanguine aliquid heterogenei, cum quo spiritus animales con-

cur-

currentes effervefcant, ficque mufculos inflent, ut contractio fiat; Nec dubium ampliùs fupereft de *membranâ*, in hâc enim nervis vigoratâ fenfum unanimiter ftatuunt Doctores. De *nervo* verò, *tendine* & *fibris*, res altioris indaginis eft certi quid afferendi. *Nervi* quidem hoc habent peculiare, quod caufa fint motus & fenfus, inftrumentalis, & hinc læfis iisdem lædatur & motus, per accidens tamen, quatenus fpiritus animales, motus caufa principalis in partes influere, easque actuare nequeunt; unde ad motum efficiendum concurrunt quidem, eundem autem non fuftinent. Si *tendines* confideramus, funt, qui iftis motum affignant, ex non ita exiguis quibusdam rationibus, apud *Spigel. loc. cit. p. 106. c. 2. l. 4.* vifendis; Sin autem *fibras*, funt quoque qui his primas deferunt, præcipuè quidem recentiores, *conf. Willif. loc. cit. Etmüll. c. 22. phyfiol. p. 147. Steno l. de mufcul. & glandul. p. 25.* aliique *anatomici varii*. Et fanè non ratio modò, fed etiam experientia pro pofterioribus militat; nunquàm enim nervus, ut *Galen. l. 7. de ufu part.* confirmat, & *αὐτοψία* probat, circa tendinem, fed caput aut ventrem inferitur, jam verò neceffariò ibi primariò fiet actio, ubi caufa motus primariò etiam hæret; ut taceamus, dari mufculos, qui careant tendine. Teftatur etiam *Willif. loc. cit. p. 51.* in animalibus, viva fi diffecentur, mufculi ventrem contrahi & relaxari, immoto & immutato tendine, motui faltim fibrarum obfecundante. Et neceffe etiam erat partem, ut motus fieret, tùm relaxari, tùm adftringi poffe, ad varias motuum fpecies præftandas, ad quod aptæ maximè funt mufculorum *fibræ, motrices* dictæ, unde etiam fummo jure conftituunt fubjectum motûs naturalis, & confequenter etiam præter-naturalis, hôcque loco *contracturæ*. Nec, fi rem accuratiùs confideres, nobis adeò contrariantur defenfores ifti tendinum, uti in laudato *Spiegel. l. c. p. 108* videre eft, qui noftram cum eorundem fententiâ ibidem conciliat. Ut autem conftet, quid nos per *fibras motrices* intelligamus, brevibus nil aliud, quàm fibras carnofas nerveis fibrillis intertextas, easdem effe, dicimus.

Subjectum nunc *adæquatum* conftituet *tendo* propriè fic di-

ctus,

ctus, unà cum *artubus* & *articulis*; hi enim motui fibrarum obsecundare debent, ita, ut contractione earundem factâ contrahatur statim tendo versus principium musculi, attrahaturq; simul os, cui inseritur, & contrà, laxatis iisdem, remittat & hic, laxenturque unà cum eodem artus & articuli. Quare in statu hôc præternaturali sequi debet necessariò, ut, dum vitiosè contrahuntur fibræ nec relaxantur, membra simul retracta in eodem situ maneant. *Thoner.* quidem ex mente *Hippocratis Epist. Medic. l. 6. epist. 18. pag. 327.* corpora nervosa accusat, sed, ut ipse ibidem explicat, per ea intelligit tendines ac ligamenta.

Quod si artus & articulos specialiùs consideremus, erunt tales manus, pedes eorumque digiti, quâ in re *Thoner. lib. 2. obs. 5. p. 87. & seqq. Plater.* itid. *in obs. l. 1. p. 137. &c.* videri poterunt.

CAPUT III.

De Causis, immediatâ & mediatâ proximiori.

LUstrato subjecto, causæ nunc indagandæ veniunt. *Immediatam* assignavimus *collectionem fibrarum motricium musculi versus suum principium*, utpote cum ab eâdem in statu naturali motus succedat, etiam in præter naturali istam accusare non dubitavimus; quæcunquè enim causæ sunt actionum in statu naturali, illæ etiam vitiatæ sunt causæ symptomatum.

Ut autem differentia pateat, cur morbosè & vitiosè motus hic fiat, addidimus notanter in definitione *τὸ præter naturam*. Veram autem hanc assignatam esse causam ipsa Mechanica confirmat; si enim quemcumque musculum sumas, & partem isti annexam attrahere velis, apparebit, omnes musculi fibras colligi versus suum principium, suffragante quoque *Galeno lib. de usu part. & lib. de motu muscul. Horstio in epist. med. sect. 20. de usu musculorum § 50. pag. 532.* qui latiùs hæc ibidem explicat, *conf. it. Charleton lib. de mot. muscul.*

In

In causa mediata proximioris inquisitione *quoad essentiam*, occurrit vulgaris ista triplex, *humorosa*, *vaporosa*, & *solida*. Quoad primam, peccant hîc *duo isti humores principales*, *vitales dicti*, hi enim ad omnes partes à corde propelluntur, ut in statu naturali easdem blandè irrigent, humectent, atque vitalitatem, ut sic loquar, præbeant, qui id quidem, quamdiu puri, & alimentares sunt, præstant, quam primùm autem à naturali statu decedunt, tantum abest, ut hoc efficiant, ut potiùs innumera mala causentur.

Non minùs & ipsi *vapores* peccant, qui nihil aliud sunt, quàm humores, sed rarefacti, & quidem vitiosè, unde ad quascunque partes humores pervenire possunt, ad easdem quoque ipsi vapores & flatus accessum inveniunt, quod *epilepsia* satis clarè testatur, quando sæpiùs eam ab aurâ ad caput ab extremis delatâ ortam, &, interceptâ eâ vinculis, sicque evacuatâ particularibus, curatam observarunt Practici. Nec est, quod dubitemus idem de *rebus solidis* asserere, cùm & id toto die accidat, exemplo podagricorum inferius probandum.

Quoad *essendi modum*, & hîc variè peccant hæ causæ. Si enim *quantitatem* humorum consideremus, utroque extremo vitiosi visuntur, ut hinc optimè positivam & privativam causam concipere liceat; Et quidem, dum excedunt, spatia & poros fibrarum distendendo, contractionem p.n inferunt, quatenus, ut *Thonerus* inquit, latera dilatata à se invicem discedunt, necessarioque sic ad suum principium torquentur; quòd si autem deficiant, idem quidem effectus, sed alio modo inducitur; denegatâ enim humiditate debitâ naturali fibræ tunc exsiccantur, exsiccatæ autem corrugantur & abbreviantur, membro simul, cui per tendinem annectuntur, retracto, quod ipsum *Thoner. observ l. 6. epist. 18. p. 328.* eleganter *exemplo chordarum* explicat. Positivè magis peccant *vapores & corpora solida*, hæc enim cùm in statu naturali non adsint, nec adesse debeant, præsentiâ suâ morbos inducunt, & hîc quidem eodem modo, quo de abundantiâ humorum diximus.

Si *qualitates* spectemus humorum, non primæ modò, sed

secundæ etiam, ac tertiæ excedunt. *Calidiores* si sint, cùm utplurimum, & tantum non semper siccitatem habeant conjunctam, optimè hîc accusari possunt, quatenus calore suo humidum partis vitale absumunt, unde, cùm ob siccitatem conjunctam non resarciatur idem, exsucca redditur, fibræque corrugantur. Nec tamen ideò ipsi humidiores, seu *aquosiores* absolvendi sunt, copiosiùs enim istuc delati replendo distendunt fibras, quæ hinc, dum magis, quàm perferre possunt, extenduntur, tendines, simulq; partem adducunt, unde contractura in promtu. *Frigus* cùm nervis summè sit inimicum, musculis quoque, quia ex nervis, membranis, fibrisque tendinosis constant, maximè nocet; unde, si flamma vitalis depressa, sulphur sanguinis fixatum, partes autem serosæ exaltatæ, facilè talis effectus induci potest, quatenus spiritus fixati musculos non ritè actuant, unde & hi torpefacti inepti sunt ad munus debitum præstandum, nec, cùm spiritus impellens deficiat, extendi, sed potiùs, naturalem in modum, contrahi amant. *Ex secundis, crassitie & tartaro fœti* conspiciuntur magis humores in nostro morbo peccare; hi enim ad motum minùs sunt apti, unde in musculorum spatiis stagnant, accedente frigore vel calore indurantur, unde *tophi podagricorum* sæpissimè producunt contracturam; hinc est, quod suprà causam solidam quoque peccare dixerimus. Possumus etiam *vapores* huc referre, raritate conspicuos, oriundos tamen ex humore viscido, pituitoso, ob calorem debilem vitiosè rarefactos, qui distendendo effectum hunc sinistrum inducunt.

Ex tertiis notanda præcipuè sunt *salia* humoribus immersa, *tartarea*, de quibus dictum anteà, *austera, acida*, summè nociva. Tanta enim est ἀπάθεια inter acidum & corpus nostrum, ut quamprimùm istud augmentum capiat, centena præstò sint mala, tùm omnium quidem partium, tùm præcipuè nervorum, & iis præditarum. *conf. nobilissimi & excellentissimi Dn. D. Wedelii, patroni & præceptoris nostri æternùm devenerandi theorem. sect. 4. part. 2. theor. 33 pag. 64.* Acida enim, ut & frigida figunt spiritus, nervos & membranas stringunt, crispant, unde

non mirum, musculo ob partes nervosas & membranosas ab iisdem tàm sinistrum inferri effectum.

Motu tandem *& quiete* etiam peccant humores. Isto quidem, quatenus copiosè ad has partes deportantur, sive in parte ipsâ læsâ proprio vitio colligantur, sive ab aliâ, præsertim verò massâ sanguineâ per vasa illuc ferantur, unde succedit quoque quies; dum enim partes non omnem materiam (est enim copiosior) sufficienter per poros expellere possunt, stagnat ibidem, & partibus molesta fit; Ut hic non laudemus motum totius corporis vehementiorem, humidum absumentem, & quietem, idem augentem & coagulantem, unde humores variè afficiuntur, de quô infrà agemus.

CAPUT IV.

De
Mediatis causis Remotioribus.

Sequuntur *causæ mediatæ remotiores*, ubi ex *naturalibus* occurrit (1) *Temperamentum*, quod omne quidem ad morbum nostrum, sed non eodem modo, uti de humoribus dictum, disponere potest. (2) *Dispositio hereditaria*, hæc enim sæpiùs in gnatis arthritidem, scorbutumque, frequentes contracturæ causas, producere apta est. (3) *ætas* nulla excipitur, omnis enim hujus morbi ferax, pro statu caloris & humorum, qui, quò magis peccant, eò magis ætatem disponunt, unde præ aliis senes vel maximè contracti redduntur ob calidum debile, serumquè viscidum, vappescens, acidum, tartareum. Nec (4) *Sexus* ulla est differentia, utrumque enim eâdem corripi, experientia nobis constat. (5) *Inter habitus corporis* magis inclinat gracilis, siccus, ut & crassus, obesus ad contracturas. (6) *Astra* itidem symbolum suum conferunt, quatenus vel calore, vel humiditate aërem, hinc corpus nostrum alterare variè possunt. *conf.* de posteriori *Helmont. lib. catarrhi deliramenta.*

Ex *non-naturalibus* se offert (1) *Cibus* viscidus, crassus, ut sunt pisces, cochleæ, ostreæ, dulcia, acria & exsiccantia, v. g.

usus intempestivus aromatum. *Potus* item fœculentus, cerevisia turbida, non debitè lupulata aut cocta, acida, vinum tàm vappidum, it. acidum, quàm dulce, ut & calidius, Hungaricum &c. prout enim hæc esculenta & potulenta variant, ita se quoque habent chylus, sanguis, spiritus & sanitas. Commodè hûc traducimus etiam *venena*, & *philtra*, magis nomine, quàm effectu talia (utplurimum enim malè cedunt) dicenda. Non rarò enim ab his oritur partium contractura, quando nempe natura robusta est, ut venenum superet, tunc enim ad extrema istud expellit, ab onere viroso, acri se liberans, ut videre nuper licuit *Apoldæ* in fœminâ veneno interemtâ, & *à nobilissimo atque excellentissi- Dn. D. Faschio, patrono & præcept. nostro devenerando* apertâ; in hâc enim, quia adhuc consistentis ætatis, natura robustior, & venenum fortè in minori dosi adsumtum fuerat, cor cœrulea maculâ in superficie tinctum conspiciebatur, ob venenum ad cor delatum expulsum, quod in aliis partibus evenire quoque posse, non dubitamus. (2) notandus venit *aër*, tàm calidus, quàm frigidus, uterque tamen in excessu gravius peccans, accusatus à *Platero in prax. tom. 1. l. 2, de mot. impoten. c. 2. p. 294. & 295.* quia iste humidum difflando, partes musculosas reddit aridas, exsuccas; hic autem non modò coagulat humores, sed etiam poros concentrando massam sanguineam conspurcat, à quâ hinc archeus se liberans recrementa varia ad musculos ablegat. Sic (3) eâdem ratione accusari poterunt *motus & quies*, iste enim partes nimium debilitando essentialem istis inducit labem, quod *Ruland. in cent. & Fel. Plater. in obs.* annotârunt. Hâc autem cumulantur heterogeneitates, torpent membra & inagilia redduntur, unde sæpius in ægrotis, qui lecto affixi hærere coguntur, contracturam suboriri, id quod in juvene quodam vidimus, constat. Referri huc etiam vita sedentaria, quæ quietis species est, omnino poterit.

Eodem modo peccant quoque (4) *Vigiliæ* & *Somnus*, istæ cum motu, hic cum quiete convenientes.

Remotè etiam (5) concurrunt *Excreta & retenta.* Sic facilè post fluxus serosos sequi morbus noster potest, quatenus humidum aufertur sanguisque acrior & calidior redditur. Si autem

excer-

excernenda retineantur, ſtaſin hinc & coagulum experiuntur. A ſudore intempeſtivè cohibito ſubſecutam contracturam univerſalem ſummè dolorificam legimus in *Eph. Germ. decat. 2. an. 5. app. pag. 10.* à ſuppreſis naturalibus evacuationibus menſtruis ortam contractionem totius cum immenſis doloribus vid. *ibid. an. 2. p. 278.*

Quantum tandem (6) *affectus animi* in noſtro affectu poſſint, *Helm. lib. de conceptis §. 12. p. 572.* ſatis demonſtrat, quin experientia abundè teſtatur, iracundos ad contracturas maximè pronos eſſe.

In *ſupra-naturalibus* non tam τὸ Θεῖον, quàm *faſcinum* conſiderandum venit, utrumque quippe ab effectu miraculoſo cognoſcendum; iſtud tamen magis bono, hoc autem malo, qui cum in morbo noſtro magis præ iſto videatur, meritò etiam faſcinum accuſamus. Non quidem hîc prolixè probabimus, an dentur morbi à faſcino, cum iſtud ab aliis probatum jam ſit ſufficienter, multaque dæmon ex permiſſione DEI perpetret; noſtrum potius hîc erit oſtendere etiam contracturam inde oriri poſſe; *Sennert. l. 6. part. 9. prax. c. 6. p. 412.* elegans, ſed triſte hujus refert exemplum de filio textoris cujusdam, qui, cum ad excrementa alvi deponenda ad ſepem, cui ſambucus inſerta erat, ſe demiſiſſet, correptus ſtatim fuit diris ſymptomatibus, & præſertim contracturâ, aliisque, quæ faſcini præſentiam indicabant, latiùs *loc. cit.* viſendis; plura exempla vide apud *Nicol. Remigium in dæmonolatriâ*; ut taceamus, communiſſimam ferè hanc eſſe ſpeciem faſcini, quando malefici cuidam nocere volunt.

Ex *præternaturalibus* magnus ſe aperit campus cauſas contracturarum luſtrandi; Poſſemus divagari ad Anglorum regiones occidentales & ſeptentrionales, & rachitidem, morbum illum crudelem, in quo oſſa quoad maximam partem incurvata conſpiciuntur, hûc referre; ut & alios plures morbos, ſed miſſis illis, noſtris regionibus inſolitis morbis, incipiemus à ſcorbuto, qui, cum ſit morbus communiſſimus, commune poſt ſe ſæpius relinquit hoc ſymptoma; id quod ipſa experientia ſatis teſtatur, ut & *Deck. in notis. ad prax. Barbett. pag. 141.* Salia enim acida & tar-

tarea à Mâ Sâ ad musculos tunc deponuntur, quæ, prout inimica iis esse superiùs diximus, sic podagram sæpissimè sequitur contractura, præcipuè si à nimis religiosâ, sed intempestivâ topicorum, frigidorum præsertim applicatione materia figatur & in tophos coaguletur, quæ hinc musculos replendo fibras abbreviat. Post coxendicum dolorem contracturam vidit *Fel. Plater. l. 1. obs. pag. 141.* post hemiplexiam *Horst. in epistol. 1.* post cölicam tùm *Plater. loc. at pag. 137.* tùm *Thoner. obs. l. 2. obs. 7. p. 89.* Facit huc etiam tumor durus, scirrhosus intra musculorum spatia hærens & contracturam causans, observatus à sæpius laudato *Platero*, de quo videatur *in praxi* atque *observationib.* qui etiam vulnera musculorum tendinumve accusat, quatenus hi interveniente callo ob vulneris labra attracta abbreviantur, quod exemplo músculi temporalis læsi confirmat, unde os adeò constringebatur, ut vix cibos intromitteret, quale quid etiam, sed in minori gradu, vidimus virgini cuidam à lapsu ab alto accidisse. Nec dubitamus hûc etiam referre vulnera imprimis nervorum, quando enim tunc cessat causa, effectus quoque, extensio scilicet & translocatio musculorum cessat. Eundem censum subeunt ulcera, quatenus materia acri, ichorosâ, corrosivâ gaudent, unde & humidum & ipsam substantiam musculorum absumunt: Contractura á lue venereâ observata non parùm huic quoque causæ debet. Liceat & hoc addere, à luxatione & fracturis, si non ritè curentur, imprimis non rectè deligentur, de quo videatur *Fel. wurzius in chirurg. part. 3. cap. 11. 12.* non raró perfectam contracturam oriri; in utrisque enim est distorsio, & in priori quidem, si ad latus aliquod fiat retractio & abbreviatio musculorum, quæ hinc causa est, cur ad membra, hoc modo affecta, restituenda sit necessaria quàm maximè extensio & deligatura partis, quam in rem videatur *Fallop. tract. de luxat. & fractur. Paræus. item. iisd. quæ edidit, scriptis. Aquapendens. l. 5. de luxat. c. 2.* & *Stephanus Gourmelenus, artis chirurg. l. 1.*

CAPUT

CAPUT V.

De Differentiis.

PAthologiam concludemus capite de differentiis, quæ desumuntur (1) *à genere*, alia enim est *perfecta*, de quâ nunc sermo est, alia *imperfecta*, ut sunt convulsiones; hæ quippe magis sunt contracturæ transeuntes, temporariæ, non tamdiu, ac nostra, durantes. Alia est *universalis*, quam suprà laudatus *Dn. D. Wedelius* visit in duobus fratribus nobilibus, quorum alter VI, alter autem VII. annos, rigidi & contracti erant, nec, nisi à famulo portati, movebantur; alia est *particularis*, quæ toto die accidit in manibus, earumve digitis, brachiis, pedibus, quin imò ipso quandoquè dorso, quod contorsum vidit *Thoner.* in mercatore quodam. Possumus etiam hûc certo modo referre contractionem faucium cum imminente suffocatione, observatam ab eodem, & eam, quæ frequenter accidit à potu *Belladonnæ*, item ab infuso *radicis consolidæ maj.* de quo. vid. *Hochstett. in obs. Med. Dec. 3. cas. 5. p. 234.* (2) *à subjecto*: quædam enim fit annis *incrementi*, quædam annis *decrementi*. Alia est *primaria*, hinc inde apud autores occurrens, alia *succedanea*, cujus plures species suprà recensuimus, Alia deniquè per *essentiam*, alia per *consensum*. (3) *à causâ*: Alia est *connata*, dicit namque *Platerus in prax. l. 2, tom. 1, c. 2. p. 206.* se vidisse quosdam rigido dorso, vel inflexo, aliisve partibus contractis natos. Alia *adquisita* vel à causâ internâ, vel externâ; alia *à repletione*, alia ab *inanitione*; alia à *causâ frigidâ, humidâ* & *positiva*, alia *à calidâ, siccâ*, atque *privativa.* (4) ratione *morborum affinium* differt contractura à *convulsione*, quod hæc non tam diu duret sed citò terminetur; ista sit constans, ad multos annos, imò usque ad mortem perdurans, & quidem sine dolore, hæc verò summo cum dolore. Convenit cum *paralysi* in genere, quod in utraque sit impotentia motûs, differt tamen, quod paralysis fit a resolutione, contractura à contractione, unde & nomen habent.

CAPUT. VI.

De Signis diagnosticis & prognosticis.

BReves erimus in recensendis signis diagnosticis, cum malum ex relatione ægri, & sensibus ipsis satis innotescat; oculis quippe *incurvationem* & rigorem membrorum percipimus. Conjunctus est *tumor* & *durities musculorum* in mediâ eorum parte apparentes, & à coitu carnium dependentes, uti hoc sæpè laudatus *D. Wedel. in physiol. sect. 4. c. 8. de motu p. 291.* explicat. Succedit his *curvitas* membri, quatenus scilicet tendines ob fibras musculi breviores redditas adducuntur versus principium, unaque cum iisdem ossa, quibus inseruntur, retrahuntur. Nec tamen ullus persentitur *dolor*, ob affectionem magis æqualem, sensim sensimque increscentem. Quæ omnia, uti majori gradu præsentia morbum jam factum denotant, atque tunc atrophia ob nutrimenti propter poros compressos appulsionem & appositionem læsam conspicua est; ita minori in gradu morbum saltim imminentem signant.

An veró sit *essentialis*, an *symptomatica*, quæque ejus sint causæ, ex antecedentibus, præsentibus, consequentibus, ut & superius in *capite de causis* dictis facilè eruere licet.

Quod SIGNA PROGNOSTICA attinet, omnes confitentur practici, esse morbum chronicum, hinc magis molestum, quàm periculosum, quia nullis partibus nobilioribus, aut ad vitam necessariis accidit.

Tempus eventus chronicis commune, & huic assignari poterit, ver scilicet & autumnus, tunc enim alteratio Mæ. Sæ. notabilis contingit. *Modum eventus* & quidem ad salutem exinde colligimus, nempe per λύσιν, quando discussa materiâ vitiosâ, & restaurato tono partis per medicamenta, atq; reductione membri ad naturalẽ statum motus iterum debitus sequitur. Imprimis verò notandum

est,

facilius curari posse malum imminens, aut non diu affligens, præsertim in junioribus; difficiliùs jam præsens, factumve; incurabile verò confirmatum.

CAPUT VII.

De

Curatione.

VIsâ pathologiâ & semioticâ morbi nostri, convertimus nos ad curationem ejusdem, desumentes eandem ex indicationibus consuetis, *curatoriâ*, quæ morbi, & causæ continentis sublationem, *præservatoriâ*, quæ causarum, imprimis procatarcticarum, remotionem, aut imminitionem, & *vitali*, quæ tonum partis atque virium restituendum indicat; cui fini obtinendo optimè inserviunt fontes consueti, *chirurgicus*, *pharmaceuticus* & *diæteticus*.

Chirurgia non parum commodi affert, cum pharmaciâ tamen conjungenda. Exhibet enim nobis *venæ sectionem* non promiscuè rejiciendam, si morbus sit adhuc in fieri, & præsertim ab arthritide ac scorbuto calidis oriatur; istis etenim, tanquam causis optimè cùm conveniat, hîc etiam nocere non poterit, dum materia vitiosa in Mâ Sâ adhuc latitans, sic evacuatur, quæ aliàs ad musculos detrusa fuisset, ubi tunc *cucurbitulæ* magis proderunt.

Laudem quoq; suam merentur *vesicatoria*, *fonticuli*, nec non *setacea*, magis tamen in causâ positivâ, frigidâ; hæc namque pro diverso gradu serum vitiosum, & salia ibi recondita præsenti cum effectu evacuant. Poterunt *vesicatoria* parti ipsi affectæ applicari ad meliorem evacuationem humoris morbifici; *fonticuli* autem in pede, vel brachio, *setacea* in nucha adhiberi.

Optimè etiam ab *eâ* mutuamur *extensionem* & *deligaturam* partis contractæ, quæ tamen non violenta, sed successiva sit, adhibitis eo fine præter fotus, linimentis & unguentis nervinis inferius tradendis, si præcipuè exsucca sit pars, ut iisdem inun-

ctis humectata, emollita & laxata, eò faciliùs cedere discat. Quæ operatio ut eò melius succedat, excogitavêre chirurgi instrumenta & fascias, quibus membrum detentum sensim attollitur, quam in rem *Ammannus* in suâ *parænesi* allegavit *Simonem Simonis*, ejusque verba ex chirurgiâ istuc transtulit. Simile quid videre est in operibus *Ambros. Parai*, editis cum aliis à *Petro Uffenbachio l. 22. de reficient. supplemento*, cujus verba hæc sunt: *Huic malo*, inquit, *ut medeamur*, loquitur autem ibidem de nostro malo, *oportet ad calceolum ægro illi pedi obvolutum, adnectere fasciam linteam, tres digitos latam, in medio crure toto, quâ proferat se genu, fissam, arctius ad thoracis foramina adstrictam ligulis, quæ pedem ad faciliorem incessum quodammodo surrigat.* Quod facilè ad alia membra contracta transferri poterit.

Pharmacia causæ magis tollendæ inservit, unde transeunda minimè sunt *Lenientia*; hæc enim, ut reliqua materia vitiosa eò meliùs purgante evacuari possit, vias disponunt: quo nomine præcipuè veniunt *tartarea, ut cremor*, it. *cryst.* ♀, *tartar. vitriol.*, *tartar. resolut.*, ℞ ♀*ri*: *aloëtica, pil. aloët., laxativ. D. VVedel. pil. Glasʃiana &c.*, *anim. rhabarb, s. & ☉iat*; *nitrosa, arcan. dupl. Mynf., nitr. ☉iat. per se & pro stimulo in clystere*; ⊖ *digestiv. Sylv*; *sennata, ut spec. Diasenn. pulv. fol. senn.* sic faciunt huc *plantæ emollientes. parietar., beta, chamomill. c. flor., & s. istæ καθ' ἐξοχὴν sic dictæ, flor. acac.* vel decocta, vel in clystere applicata, hâc tamen cum cautelâ, ne interius assumendo ventriculi tonus hisce lubricantibus obruatur & lædatur.

Præparantia etiam necessaria erunt, ut qualitas humorum corrigatur, & ad eductionem disponantur, ubi laudanda iterum veniunt *tartarea*, ♂*tialia*, *M. S.*, *Ess: antim. aperientia &c.*

Accedimus *Purgantia*, ideò hic proficua, quod non è primis solum viis, sed altius etiam infixam materiam morbosam extirpare possint, tantò hinc utiliora, quò sæpius infimus venter prima nostro morbo stamina ponit. Proderunt hoc fine *fibr. helleb. nigr., rhabarb., mechoac., agaricus trochisc., gialap., ejusque*; *ut & scammon. resina; fol. sen. Alexandr. s. s, extract. agar., panchymag. croll.; catbol. Anaernac., spec. diagalap., pulv. diasen., la-*

xat.

xat. vegetab., *Cerber. triceps*, M♀ *ear Querc.*, *Bontii*, *Schröd.* & alia apud authores visenda, quæ proderunt variis in formulis adhibita, *pulverum* præsertim & *pillularum*, (quod & in reliquis observandum,) ubi magis exsiccandum, quo casu etiam *ess scammon.* laudanda; in *infusis* autem & *decoctis* ac *potionibus* magis, (vel saltim & ista, si in tali formâ desiderentur, cum largiori vehiculo data.) ubi humectandum simul est.

Vomitoria ad mineram non ita intimius defixam, si quidem indicentur, exterminandam, præsentaneo cum auxilio optimè commendantur, maritanda cum nervinis & stomachicis, ne ventriculi robur lædatur, aut hypercatharsis succedat.

Nec possumus transire *diaphoretica*: hæc enim id, quod in vasis & glandulis subcutaneis à purgantibus intactum relictum, expellunt, & Mam Sam ab omni heterogeneïtate liberant; prosunt tàm *volatilia*, quàm *fixa* & *media*. e. g. *rad. scorzon.*, *imperat.*, *chin.*, *sarsaparill. Herb. card, ben.*, *scord.*, *fl. galegæ.*, *calendul.*, *cort. chin.*, *lign. sanct.*, *sassafr.*, ∽ *bezoard.*, *serpent.*, *viper.*, ♀ *s. & ℅sus*, *C. C. ebor*, ℞ *bez.*, *s. & vol*, ℞ *diaph. Mynf. ejusque liq. diaph.*, *M. S. per se & volat. ac* ♁. *elect. Orvietan. diascord, Fracast.* ♁ *diaph. bez. min.* ♃*ale*, ♂*iale*. ☿ ♂*cial. cachect.*, ☿*es bezoardici, Sennert.*, *D. Wedel.*, ♁. *nat.*, *&* ♎*ata*, ♁*nii*, *CC. ust.*, *lap. bez, uterque*, *magist. CC.*, *spinar. viperin.*, *& alia*: quæ pro variis indicationibus à medico prudenti eligi, combinari variari & adhiberi queunt.

Succedunt his *diuretica*, quæ id, quod neque per purgantia, aut diaphoretica expelli poterat, per ductus urinarios evacuant, Faciunt huc tàm *vegetabilia*, quàm *animalia* & *mineralia*: *rad. 5. aper. vincetox.*, *ononid.*, *saxifrag.*, *Herb. heder. terrestr. bellid. &c.*, *oc.* ♋, *cochinil.*, *testacea*. it. ℞ ♀, ∽ ♀, ∽ ⊖, ⊕, *aperit. Penoti*, ℞ *aperit. Mœbii*, *nephrit.*, *clyss.* ♁ *uterq.*, ℞ *viol.*, *ros.*, ⊕*latæ. arcan. dupl. Mynf.*, *arcan.* ♀, *malvatic. juniperin.*, ∽ *juniper. ex bacc.*, ∽ *nephrit.*, *succinata omnia & terebinthinata*; *succin. præpar.*, ∽ *& ess. ejusd.*, *liq. C. C. succinat.*, *bals.* 🜍 *succinat.*, ∽ *terebinth.*, M♀ *de eâd.* &c.

Omne tandem ferunt punctum (etiam in malo à fascino,

præter jam recenſita adhibenda; cura enim utriusque eſt eadem.) *appropriata*, nervina, antiſcorbutica, antihypochondriaca & aperientia *ab Hartm. in prax.* maximè delaudata, quia obſtructiones ſequi & antecedere ſolent contracturas. Quâ ex causâ etiam *Schröd.* commendat ⊖ *ſuum cachect. chalybeat. à gr. 5. ad* ℈j, *exhibitum.* Proderunt ad eundem finem omnia ♂*ialia*, iſtâ virtute prædita, ut non aperiant modò, ſed roborent ſimul. v. gr. *Corc.* ♂ *aper.* 🜂*at.*, *ſacchar.*, *c.* ⊖*ibus*, & exinde parati pulveres cachectici, ☿ *cachect. Querc.* ☿ *in. VVedel.*, per ſe & cum ſtomachicis adhibiti, vel oleis roborati, ℞ ♂ *aper.*, *diffuſa*, *temperat.*, & *volat*, *balſamica*, ſummè, ut & *duplicata D. VVed.*; proficua, ℞ ♀ *ſ.* & *c.*, *arcan.* ♀, *cicera* ♀ *Mynſ. ab eôd.* laudata, *bez.* ♃*ale*, ♂*ale*, ☉*re Mynſ.*, ♁ ♂*ial. cachect.*, *rad. cichor.*, *pœon.*, *ir. fl.*, *galang. Zedoar.*, *ſarſaparill.*, *ari*, *trifol. fibrin.*, *Herb. cochlear.*; *naſturt. omne*, *ceterach. capill.* ♀, *politrich.* ☉, *ſalv.*, *rut.*, *roſmar.*, *chamædr.*, *chamæpit.*, 🝕 *meliſ.*, *ſalv. roſmar.*, *elix. cephal.*, ℞ *corall.*, *eſſ.* ♁, *L. aloës. liq. cephal.*, *eſſ. chamædr.*, *chamæp.*, *myrrh. balſ.*, ☿ *nat.* ♎*ata* & ♁*ij*, *margarit. trochiſc. Mynſ.*, *hepat. rubr.*, *ſuccinata*, *eſſ. carminat.*, præſertim ſi malum ſit à colicâ, *eſſ.* & 🝕 *cort. citr.*, *galang. zedoar.*, *extract. caſtor.*, *ladan.*

His annumerandæ ſunt, ſi malum præcipuè à cauſâ internâ ſcorbuticâ dependeat, *acidulæ*, ultimum ſcorbuticorum refugium, modò viſcera ſint ſana, & *thermæ* ipſæ etiam, non internè modò, quod hîc innuitur, ſed, de quo infra, etiam externè adhibendæ, obſervando inſuper ſtatum ſanguinis, has in frigidiori, iſtas in calidiori dando. Acidulis naturalibus, ſi deficiant, facillimè *artificiales* ſubſtitui poterunt.

Externa tandem paucis delibabimus, quibus pars foveri, & humectari, ſicque ad extenſionem aptari poteſt. Excellunt hôc nomine *linimenta*, præſertim *nervina*, 🝕 ✳*ci*, *C. C. vol.*, *ebor. c.* 🜄 *Anhalt.*, aliisque nervinis: 🝕 *lumbr.* 🜄 *eſtr.*, *pingu. hum.*, *caſtor.*, *vulp.*, *urſi*, *lupi*, *taxi*, ☍ *chamom.*, *aneth.*, *verbaſc.*, *lil. alb.*, *rut.*, *ceræ*, *ſapon. Venet.*, *ſcorpion.*, *terebinth. c.* aliis miſtum, ☍ *paregoric. VVed.*, ☍ *fl. hyperic.*, quod in faſcino

ſcino quoque laudant, ℴ℘ *junip.* commendatum ab *Erneſti in tract. de oleis* ♄*atis.* *Schröder in pharm.* laudat maximè *balſ. de catulis*, *balſ. indic.* & *de Tolu*, ℴ℘ *it. elemi.* : *Barth. in not. ad Beguin. tyroc. chimic.* extollit *olea ex ſangu. cervin. & human.*, *additis eorum* ⊖*ibus* prolicita; *Mynſichtus balſam. ſuum polychreſtum* magni facit. Maximè hîc obſervandum erit, ut *oleis expreſſis* addantur ♄*ata*, *tùm* ~, *tùm olea*, ut ♄ *ſuccin.*, *anis.*, *carvi*, *chamomill.* &c., quò eorum vis augeatur, & lubricitas, horumve calor ſic corrigatur. Commendantur quoque pelles recentes mactatorum canum, vitulorum, leporum it. immiſſiones membrorum in ventres apertos canum adhuc calidos.

Ex *unguentis* proderit *ungu. nervin.*, ♂*iat.*, *popul.* roboranda oleis. Si à ☿*iali inunctione* ſit malum, commendat *Hartm. in prax. p. 370. ungvent.* quoddam ex *rad. angel. contuſ. & coctâ c. vino*, *addendis variis*, & *pag. 380. galbanetum*, hâc cautelâ, ſi vires conſtent, nec corpus ſit emaciatum. Aliud laudat maximè *Valeriol. in obſ.* : quæ externa omnia tepidè aut caluidè pro re natâ adhibenda.

Suffimenta pro uſu exiccatorio, parcius tamen, in uſum venire poterunt *ex ſuccin.*, *maſtich.*, *G. anim.*, *ſandar.*, *&c.* ☿*e ad ſuffumig. offic.* Commendant aliqui 🜍 accenſum, ſuper cujus exhalationem membrum contractum tenendum eſt.

Emplaſtra itidem ex *dictis gummatibus*, ut & *G. galban.*, *ammon.*, *colophon.*, *bdellio c. cera* formari poſſunt, qualia dilaudat *Thoner. in obſ.*, præſertim etiam *Empl. diaphor. Mynſ.*; ſi ab innnctione ☿iali, aut veneno, proderit *Empl. magnet.*

Balnea quòd attinet, proficua erunt tàm *naturalia*, quàm *artificialia*, modò reſpectus habeatur ad cauſam; de uſu horum videatur *Thon. in obſ.* & *Horſt. in epiſt. med. l. 2. ſect. 18. p. 602.* qui allegato duplici exemplo commodum eorum uſum probat. Sic ante paucos annos in *meâ patriâ* accidit, ut *fons ſoterius* ſe proderet *in pago Onoldino*, Weyhenzell *dicto*, (de quo elegantem tractatum edidit *Exc. Dn. Lœlius*, *Med. D. & Archiat. Onoldo-Brand.*, *fautor meus ſingularis*) qui quidem non calidam

aquam, mineralibus tamen, odore præcipuè ♁eo se prodentibus fœtam largitus, eâ tàm potâ, quàm in balneis adhibitâ, quàm plurimis paralyticis & contractis sanitatem reddidit, ita, ut ligneis instrumentis innixi cùm accederent, relictis iisdem, tanquam testibus recuperatæ sanitatis abiissent. In defectu naturalium *artificialia* adhibenda, ex mineralibus & nervinis paranda.

Profuisse etiam vidimus *fotus* paratos *è capite mortuo cerevisiæ*, eidem membrum contractum tepido immergendo & fovendo, cui fini etiam *sacculi* nervini parari, & ▽is nervinis irrorati, vel sicci quoque applicari poterunt. Referri hûc merentur *insessus in siliquis uvarum*, it. *formicarum grandiorum* acervo, vasi cuidam indito, quibus aqua calida infusa fuerit.

An in *Transplantatione* remedium quoddam sit quærendum meritò dubitamus, cùm nullam, quâ naturaliter quid præstare ista possit, videamus rationem.

Si *symptomaticum* sit malum, non recensita solùm adhibenda erunt, sed ad causam exterminandam remedia ex propriis loculis petenda, & his vel præmittenda, vel conjungenda.

Agmen curationis claudit Diæta, quæ ad finem optatum eò certiùs obtinendum multum confert.

Aër itaque sit temperatus, serenus, purusve, neutro extremo peccans.

Cibus ἔυχυμ@ καὶ ἐυπεπ]ὸς, tenuis, non vaporosus aut crassus, viscidus, panis sit probè fermentatus, potus tenuior, cerevisia non minis lupulata, sed benè defecata, vinum absit tùm ob caliditatem, tùm acidum occultum, aut saltim tenue, & in paucâ quantitate eò adsvetis concedatur.

Somnus magis in sicco statu, quàm humido prodest, hîc enim vigiliæ magis eligendæ, excessu tamen itidem noxiæ: nam & hîc *medio tutissimus ibis*. *Motus* blandus multum juvat.

Alvus officium præstet quotidiè, aliàs stimulanda clystere, suppositorio &c. *Venus* ex statu morbi, causis & viribus regulanda. Nimia enim nervis valdè inimica.

Animi

Animi pathemata, si excedant, nocent, unde moderata magis eligantur. Dubium enim remedium est, quod *Camerar.* recenset *ex Valeriolâ*, it. *Marcell. Donatus de Medicâ hist. mirab. l. 6. c. 5. p. 640.* Contractum nempe per 6. jam annos virum irâ repentinâ concitum, cùm famulo plagas inferre conaretur, corpore summè agitato, morbo soluto, sanum hinc evasisse, ut sine dolore incedere, erectusque stare potuerit:

Sed duo cum faciunt idem non est idem.

TANTUM.

DEO TRIVNI SIT GLORIA IN ÆTERNUM.

Publica nunc iterum conscendis pulpita ROSA,
contractos curans, heu! miseros homines.
Eugè! hinc exsurgent medicæ fastigia laudis,
perpetuusque Tibi facta rependet honor.

Faustæ gratulationis caussa scrib.

PRÆSES.

Immo-

IMmotum corpus non paret mentis alumnæ,
denegat officium pesq́; manusq́; ſuum.
Tu reparas membris motum, reddisq́ue vigorem,
unde æger gaudet, Tuq́ue brabea capis.

Honoribus meritiſſimis animitus applaudo, & ſucceſſus inVidendos ulteriores meritisq́; pares apprecor

Georg. VVolffg. VVedelius.